DE DEO VNO
ET TRINO
AD CLEMENTEM VIII.
PONT. OPT. MAX.

POMPEII VGONII
ORATIO

Habita in ſacello Pontificio die
feſto Sanctiſsimæ Trinitatis
Anno M.D.XCIII.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Apud Aloyſium Zannettum. 1593.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

ILLVSTRISS.^MO^ AC REVER.^MO^
PETRO ALDOBRANDINO
AELIAE ARCIS PRAEFECTO
CLEMENTIS VIII. PONT. OPT. MAX.
FRATRIS F.

POMPEIVS VGONIVS S. P. D.

ETSI ſtatueram PETRE ILLVSTRISSIME orationes meas nullas amplius ſeparatim emittere, donec earum volumen integrum, vt pollicitus eram Amplitudini tuæ offerrem, ecce tamen hæc, quam de ſumma Diuinitate nuper habui in Vaticano ſola ad te & incomitata progreditur. Sanè vererer, ne vt ambitioſè præpropera, atq; extra chorum deprehenſa, tibi rea, atque obnoxia fieret, niſi ab humanitate erga me tua, & amore quem præ te fers, aliquid etiam in eam indulgentiæ redundaturum ſperarem. Potuit forſitan freta maieſtate argumenti eximere ſeſe turbæ, & procedere ſingularis. Sed nimirum impatiens moræ, & tuo frui ore geſtiens, cæteris, quæ ſe prodituræ adornant lentius, anteuertit. Ego eam non vt fugitiuam, ſed vt comitum proximè inſtantis aduentus prænunciam, auolare facilè paſſus ſum: Atq; eò æquiore animo, quod memoriam mei, quam propter occupationes ſtudiorum debitis ſalutationum officijs alere nequeo, ſe tibi excitaturam, promiſit. Curabo tamen, vt & cū reliquo comitatu propediē ad te reuertatur, vt intelligas, Heroica virtute Iuuenis, mea tibi cum ſingula, tum vniuerſa deberi. Vale.

Digitized by Google

DE DEO VNO ET TRINO
POMPEII VGONII
ORATIO
AD CLEMENTEM VIII.
PONT. OPT. MAX.

IMMENSA hodie P.B. & ineffabilis Dei benignitas à nobis eſt prædicanda, quibus præter cæteras nationes electis in gentē ſanctam, & populum acquiſitionis, cæli adyta patefacere, & vt appellat Apoſtolus, theſauros abſconditos ſapientiæ & ſcientiæ ſuæ dignatus eſt reuelare. Hac enim præexcelſa Theologia ſolus Populus extollitur Chriſtianus, vt fidei lumine aſſequatur, quod fruſtra defatigando ingenia plurimi quæſierunt, quis & qualis ſit ſummus ille Deus, cuius ditione nutuq. terræ, maria, ſupera, infera continentur. Sed de re tanta dicere cupiens, quantæ vel ex parte attingendæ, non modo vox hominis, & peccatoris, ſed ne Angelica quidem caſtiſſimarum mentium ora ſufficiunt, quem potius appellem? quem implorem? niſi eum qui cor mundum de immundo creare, & linguas infantiū

cæleſti ope facere poteſt diſertas? Tu igitur fons lucis æternę Sancta & indiuidua Trinitas, vnice Deus, cuius hodie vniuerſa maieſtate triumphat Ecclesia, Reuela oculos noſtros, vt conſideremus mirabilia de lege tua; Benedic nos Deus, Deus noſter, benedic nos Deus, Deus Pater, Deus Fili, Deus Spiritus ſancte, ne pollutis labijs libemus arcana cæleſtia, ſed ſpecioſa laude confiteamur nomini tuo, quoniam magnus Domine es & laudabilis nimis.

Eſt mundi opificis & parentis cognitio P.B. cum ſuapte vi obſcura & perdifficilis, ſiquidem infinitâ à nobis maieſtate ſecluſus lucem habitat inacceſſibilem, tum aſtu Satanæ atq; inuidia, tantis eſt errorum tenebris obuoluta, vt vix tenue lumē eius ante Dei filij in terras aduentum, hominibus appareret. Nam cum vnus ſit Deus & trinus, quo nomine hodie ſacris ſolennibus colitur, vnus natura, trinus hypoſtaſi, & vnitatem Diuinitatis diſtrahere inter gentes, & Trinitatem confundere Hebræis patribus adumbratam, magnis vndique admotis machinis nefarius hoſtis conatus eſt. Quamobrem, vt de vnitate conſideres, ad ſæcula priſca reſpiciens, quo quo te verteris, exurgere Deos, inuadi cœlum, occupari diuinos honores, Deum verum eijci hinc atque illinc, & fugari videbis. Eſt qui ſolem & aſtra, eſt qui ignem & elementa mundi, eſt qui deformes beſtias, eſt qui olera & ſtirpes, & rudem lapidem demens adoret. Regum faſtus aras ſibi & ſimulacra vindicat, trepidæ gentes genu nixæ procumbunt; liberi parentum, parentes liberum apotheoſi orbitatem ſolantur; ſtolidum vulgus Deos ſibi ex euentis fingit, alij virtutes, alij vitia, alij morbos, alij affectus & libidines ſuas conſecrant. Quid poetarum Theogonia fæcundius ne dicam, an nequius? Quid complurium Philoſophorum placitis de Deo incertius? quid inanius? Quis denique malorum ſpirituum præſtigijs modus aut finis? Deliteſcere ſub ſtatuis conſecratis, afflatu ſuo vatum pectora inſpirare, extorum animare fibras, auium volatus gubernare, fulmina elicere, ſortes regere, oracula edere, falſa veris ſemper inuoluere, quorum non alius finis erat, quàm ad ſuperſtitionem ſui homines rapere, & ab vno veroq; Deo miſeros auo-

care.

Digitized by Google

care. Hunc tu Roma, cum Deos vndique hoſpites quæreres, ſolum temporibus illis excluſiſti, quòd diceres Iudæorum Deum ſingularem nullam pati cum cæteris numinibus ſocietatem. O quam merito ad Quirites illos tuos in Numæ ſacra iuratos dici poterat, quod exprobraſſe eis præcones Chriſti non eſt dubitãdum. Filij hominum vſquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus. Vnus eſt Deus, qui æternũ cælo imperium obtinet, vnde vos tanta Deorum examina è terra producitis? Vnus eſt qui condidit vniuerſa, cur vos opificis ipſius obliti opera colitis & adoratis? Vanum eſt Romani putare Cæſares veſtros ex hominibus Deos fieri, quorum deflagratorum cadauerum cineres collegiſtis. Deus eſt nomen ſupremę maieſtatis, quod ſummum eſt, non poteſt eſſe niſi vnum & ſolum; ſi non eſt vnus, Deus non eſt. Dei ſunt, quæ vbique ſunt omnia; quomodo poteſt illa ſublimitas habere conſortem quæ ſola omnem occupat poteſtatem? Aeterna eſt & incorrupta Diuinitas; quidquid diuiſionem capit ad interitum vergit. Hinc omnia quoad eius facere poſſunt, coniungunt ſeſe atque adſociant, & in vnum ad ſui tutelam & conſeruationem coaleſcunt. In hoc omnis natura conſentit. Rex vnus eſt apibus, & dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus. Domus ad vnum familiæ patrem reducitur, Ciuitas ad vnum Principem. Nauis vnum gubernatorem, Caſtra vnum imperatorem depoſcunt. Vnus animus præſidet corpori, vnus ſol terras in argumentum vnicæ diuinitatis illuſtrat. Quo magis credite in hoc vniuerſæ naturæ imperio vnum eſſe, ad quem ſumma rerum referatur. Hunc vnum agnoſcite, vnum veneramini, præter quem non eſt alius Deus; Dij autem gentium dæmonia. Sic equidem reor Petrus, ſic Paulus Euangelicæ tubæ, Romanorum concione ad audiendum arrecta perſonabant: His inter cætera argumentis, vrbem omnium idolorum ſuperſtitione obſtrictam ad maieſtatem Dei ſingularis & veri cognoſcendam & honorandam traduxerunt. Eſt reuera primus aditus fidei, vt ſignificat Apoſtolus, agnoſcere vnitatem Dei; ſed enim id nobis eſt cum Abrahæ ſtirpe commune; ſunt

& de

& de gentibus qui vnum Principem Rectoremq́. mundi, ex ipſarum rerum pulchritudine, motu, diſpoſitione, conſtantia, vtilitate, comparatione intellexerunt. Non hic Theologia Chriſtiana ſubſiſtit, euehitur altius, inſinuat ſe in ipſum penetrale Diuinitatis, diſtinguit in illis tenebris quas poſuit Deus latibulum ſuum tres vnius naturæ æquales Hypoſtaſes, veneratur & appellat ſingulas, Patrem, Filium, & Spiritumſanctũ. O non humanis ſenſibus, & ingenio æſtimabilem Trinitatem. Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit; Tres ſunt qui teſtimonium dant in cęlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. Ac huius quidem ſacri venerandiq. Myſterii figuræ complures atque imagines in veteri lege præiuerant, verum ita obſcurè, & ſymbolicè adumbratæ, vt à rùdi illo & carnali populo Iudæorum non paſſim intelligerentur. Chriſtus fugauit vmbras, Chriſtus recluſit ſignacula, protulit in lucẽ myſteria. Tres principes humanę ſobolis Adam, Eua, & Abel triplicis diuerſitate originis, cæleſtis Triadis imaginem repræſentant. Tres Noe filii ſpes reparandi generis in Arca ſeruantur. Tribus viris occurrit Abraham ad ilicem Mambræ, & vnum adorat. Ter Iacob Ioſepho filio benedicens inuocat nomen Domini. Trium ſe Deum profitetur Dominus, Abraham, Iſaac, & Iacob. Tres ſolennes hoſtias poſtulat à populo Deus, holocauſti, pro peccato, pacificorum. Tria per Moſen celeberrima feſta mandat inſtitui, azimorum, primitiuorum, & meſſium, Ter Dauid in pſalmis, eodem ſæpe carmine Deum appellat. Ter in die Daniel patentibus, contra Hieruſalem feneſtris adorat. Ter Hieremias balbutit, Ah, Ah, Ah, Domine Deus. Triplex funiculus difficile ſoluitur Salomoni. Quis appendit tribus digitis molem terræ? interrogat Eſaias. Hæc magna ſunt, hęc arcana, hęc diuina ſacramẽta, abſcõdita à ſapientibus Hebręorũ, reuelata paruulis in Eccleſia Chriſtiana. Sed ſi illi quorum, vt prædixit Apoſtolus, obtuſi ſunt ſenſus vſque in hodiernum diem ad cætera obſurduerũt, audirent ſaltem ſuauiſsimum cæli concentum, & nunquam interquieſcentem, de quo B. Iob, Et concentum cœli quis dormire faciet? Non hic Platonicarum cantus Syrenum, non incita-

torum

torum ſonus eſt orbium,ſed cœleſtis militiæ, & ardẽtium vox Seraphinorum, qui vt vidit Eſaias, Deo ſedenti in ſolio acclamantes perpetuò,Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus exercituum,& vnitatis, & Trinitatis diuinæ concelebrant maieſtatem. O admirabile & ſublime Triſagium. Sanctus Pater, Sanctus Filius,Sãctus Spiritus,& hi tres Vnus Dominus, Vnus Deus, Vnus omnipotens. Sanctus Pater teſtante filio, Pater ſancte ſerua eos in nomine meo quos dediſti mihi. Sanctus Filius Angelo nunciante,Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Sanctus Spiritus,orante propheta,Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.Sanctus Pater fons ingenitus,non ſolum omnis ſanctitatis quæ rebus creatis ineſſe poteſt, ſed etiam Filij & Spiritus ſancti. Sanctus Filius genitus ex æterna mẽte Patris, vt candor lucis,vt ſpeculum ſine macula,vt imago ſanctitatis illius. Sanctus Spiritus,qui à Patre Filioquè admirabiliter procedens, amor eſt, & nexus, & donum vtriuſq;. Sanctus Pater cuius poteſtati nihil reſiſtit, qua condidit vniuerſa. Sanctus Filius cuius ſapientiam nihil fugit,qua omnia diſpoſuit.Sanctus Spiritus cuius bonitas nulli inuidet,quæ cuncta conſeruat. Sanctus denique Pater, à quo omnia, Sanctus Filius in quo omnia, Sanctus Spiritus per quem omnia: Et tamen à tribus, & in tribus, & per tres qui vnum ſunt omnia. O æquabilem,& concordem omni ex parte concentum. O harmoniam,qua cum nulla ex noſtris his mortalibus ſit vel ſuauitate, vel maieſtate conferenda. Quàm certus, quàm æqualis tenor in vocibus?Nulli hic gradus,nulla interualla ſunt decrementi vel incrementi;Sanctus Sanctus Sãctus,Dominus Deus omnipotens. Quid obſtrepis Ari? Quid conturbas? Vt dicas Sanctum,Sanctiorem, Sanctiſsimum? Quo per hos te gradus niſi ad ima præcipitas Tartara,quibus Patrem maximum, minorem Filium,minimum audes aſſerere Spiritum Sãctum? quibus diuinam violas ſimplicitatem? communionem Hypoſtaſeon in rebus omnibus ſocietatemq́. diuellis? Vim, ſapientiã, bonitatem,æternitatem,maieſtatem Trinitatis imminuis? Audis Angelos, & quidem cæleſtium ordinum ſupremos clamantes alterum ad alterum, Sanctus Sanctus Sanctus Dominus

Deus

Deus Sabaoth.Nihil igitur in hac beatiſsima Trinitatéprius aut poſterius, nihil maius aut minus, nihil ſuperius aut inferius,nihil omnino diſpar,& inæquale cogitare debueras. Sed hic hoſtis fidei,& oppugnator Dei iampridem dignũ ſuo ſcelere exitum inuenit. Noſtrum eſt, quibus de tã admirabili Diuinitatis arcano vera fides innotuit, qui neque derelicti cum gentibus,neq; repulſi cum Iudæis,neq; labi in peſtiferos errores permiſſi ſumus, ita agnoſcere & tueri cœleſte beneficium, vt pro huius fidei teſtificatione,in qua abluti,in qua ſignati ſumus,omnia facere,omnia perpeti,vitam impendere,ſanguinẽ profundere parati ſimus. Tu Deus æterne, cuius hac luce anniuerſaria,non partem operis aliquam,vt cæteris anni temporibus,ſed totam quantam in te ipſo obtines infinitam immenſamq. maieſtatem,magnifica religione complectimur, votis noſtris annue atque aſpira:Corrobora,accẽde,adauge in nobis fidem, atque hanc auguſtiſſimã Sedem per Petrum poteſtatis tuæ Vicarium in eiuſdem Trinitatis confeſſione ſolidatam,ab omni domeſticorum & externorum hoſtium oppugnatione,tutam atque incolumem ſerua. Tibi hodie ſacra facimus Pater,Fili,& Spiritus Sancte; Tibi benedicimus, voceſq; noſtras cum Angelicis cantibus,tanquam ſuperiores,& inferiores diuinæ cytharæ cordas ſociantes, tibi glorioſa Trinitas concinimus & acclamamus, Sancte Sancte Sancte Domine Deus omnipotẽs,Plena eſt omnis terra gloria tua: Tu munera noſtra ne auerſare,voces exaudi, dignoſq; effice, vt qui nunc te per ſpeculum in ęnigmate,& vtinam non lippis oculis è terra cernimus, in cælo tandem facie ad faciem, & purgatis ab omni mortali contagione animis contemplemur.

F I N I S.

L A V S, & gloria Sanctiſsimæ Trinitati.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google